

Differen-
tia reat⁹
macula,
& offensa

do quantum ad peccati actum. Nam per actum peccati anima incidit obligationem ad penam æternam, secundum ordinationem diuinam, qua statutum est quod mortale peccatū mortem æternam puniri debet, secundum illud Etich. 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et Iacob. 1. Peccatum cum consummatum fuerit, generat, mortem, ad Roma. sexto. Stipendia peccati mors, vt supra allegatum est. Hæc obligatio facit animam debitoricem penæ æternæ, dicitur reatus. Et quia hæc ordiatio est ex diuina voluntate sic peccatum vindictæ, dicitur offensa Dei, quia per ipsum Deus quasi iratus vel offensus prouocatur ad vindictam. Et quia animæ disconueniens, hæc eius ordiatio est ex diuina voluntate sic peccatum, vt declarat Scotus distinctio. 14. libr. 4. quest. 1.

Et quia anima post peccatum, siue peccati actum tam exteriori, quam interiori adhuc manet debitorix penæ, donec Deus remittit penam, & hæc remissio regulariter fit per penitentiam, vt dicit Magister distinctio. 18. quarti capitu. ultimo. Ideo sic loquendo de peccato, peccatum manet vsque ad gratiæ infusionem qua debitum huiusmodi remittitur, quia vsque tunc quis dicitur peccator, etiam licet actu nihil agat opere, aut voluntate. Et hoc modo non loquimur de peccato cum probauimus à peccato cessare oportere prius, quam agatur penitentia, quia non nisi in penitentia peccatum tollitur quantum ad reatum.

Secundo modo loquimur de peccato quantum ad actum illum commissum, vel obmissum, quo anima obligatur penæ æternæ, manetque obligata etiam transiente actu. Et hic actus est duplex, scilicet interior elicitus à voluntate, & interior, vel exterior ab eadem mediante elicito imperatus. Actus elicitus est actus immanens voluntati scilicet velle, aut nolle. Sed actus imperatus est actus, quem voluntas vult fieri in potentia cogitiua, motiua, vel operis executiua. Et actus im-

peratus nunquam est meritorius, vel demeritorius, vitiosus, vel virtuosus, nisi quatenus dependet ab interiori elicitio, vt probari possit ex virtutis definitione. secundo. Eticho. Hinc dominus ait. Matth. decimo quinto. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ de corde exeunt, ea coinquinant hominem. Cor pro voluntate ponitur, quæ est principalis inter animæ potentias, sicut cor membrorum principale. Et ideo actus, vel opus exterius tamdiu manet peccatum, quamdiu imperatur, siue dependet ab actu interiori voluntatis vitioso, quo cessante, cessat opus imperatum esse peccatum etiam si opus non cessat. Vnde idem opus exterius potest primo esse peccatum, & postea esse non peccatum, immo virtuosum propter mutationem voluntatis quo ad actum elicatum. Vt si quis ex desperatione se de alta rupe præcipitare, casus ille primo esset peccatum, et si in medio præcipitii conuersus duceretur penitentia, & nollet præcipitium, quamuis reuocare se non posset, postquam esset nolitum, iam desineret esse peccatum. Et si acceptaret penam præcipitii iam factam sibi necessariam, tanquam satisfactoriam pro peccato propter Deum, iam inciperet casus præcipitii esse meritorius. Hæc latius declaratur per doctores in variis passibus. Ex illo sequitur quod tunc cessat quis à peccato operis, cum cessat à vitiosa voluntate mentis.

Sed pro clariori dictorum intelligentia addiendum quod duplices sunt actus exteriores à voluntate procedentes (Siquidem de simpliciter inuoluntariis nihil ad propositum, quia tales secundum philosophum. tertio Eticho. & Augustinum de vera religione neque laudabiles sunt, nec vituperabiles nec virtuosus, nec vitiosus. Vnde Paschasio iudici dixit beata Lucia. Si me inuitam feceris corrumpi, castitas mihi dupliciter ad coronam. Secus de inuoluntariis non simpliciter, sed ex conditione) Actus itaque voluntarii exte-